

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. XIV. Prometheus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

(* Maior pars fabulae desideratur : sed haec videtur illius sententia fuisse.)

Cum vero animalia regis sui perpetuam animaduerterent indulgentiam vsumque familiarem : hoc tandem benevolentiae obtinuit praemium , vt ludibrio esset omnibus : quemadmodum nimia vulgo familiaritas contemtum parit.

FAB. XIII.

* * * *

Postquam lauare coepit poenitentia,
Afflictione veretri, linguam mulieris,
Affinitatem traxit inde obscoenitas.

Expers verecundiae Venus improba semper.

(* Et haec fabula, forsan quod minus esset decora , ad ἐπιμύθιον usque resecata fuit.)

Nefanda mulieris cum viro consuetudine, postquam illius linguam lauare coepit inexhausta voluptas : praeter opinionem obscoenitas inde orta est.

FAB. XIV.

Prometheus.

Rogauit alter , tribadas et molles mares
Quae ratio procreasset ? Exposuit senex:
Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis ,
Qui simul offendit ad fortunam , frangitur ;
Naturae partes , veste quas celat pudor , §
Quum separatim toto finxisset die ,
Aptare mox vt posset corporibus suis ;
Ad coenam est inuitatus subito a Libero.

G

Vbi

Vbi irrigatus multo venas nectare,
 Sero domum estreuersus titubanti pede: 10
 Tum semisomno corde , et errore ebrio,
 Applicuit virginale generi masculo,
 Et masculina membra applicuit feminis.
 Ita nunc libido prauo fruitur gaudio.

Stulta libido.

Rogauit aliquis , qua ratione infames spurcie frictrices pueri ac probrosae mollitiei mares procreati fuerint. Et hanc senex philosophus fuisse tradidit. Prometheus in causa est , ille generis humani conditor , quod effeminatum plane et libidinosum , adeo prorsus cum fictili olla fragili componendum est , vt virilis animi expers , ad quamlibet fortunae offensionem , velut iners lutum frangitur. Is enim cum toto die separatim finxisset sexus vtriusque membra , quae natura occultauit , ac remoueri honeste ab oculis voluit ipse pudor : vt suis quaeque corporibus addi mox negotio faciliori posset : repente ad coenam inuitatus est a Baccho. A quo cum sero bene potus , tremulo ac vacillante pede , rediisset dominum : ebrius ac somniculosus , quae mulierum sunt , masculo generi ; & illis contra virum applicuit genitalia. Hinc libidinis perversa vtrinque voluptas.

FAB. XV.

Capellae et Hirci.

Barbam capellae quum impetrassent ab Ioue ,
 Hirci moerentes indignari cooperant ,

Quod

